



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

Festvm SS. Corporis Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

ornarunt. Sed quod unâ suâ gemmâ
sat dives crux esset, uniones omnes,
velut victos se faterentur, longè inde
exfilerunt, quo permoti cives aureâ
denique cruce, ut par erat, gemmam
unicè pretiosam incluserunt. Iam in
Virginis Claræ de Monte Falco corde
reptos ajunt hodieque asservari tres
globos, qui singuli cum singulis, quin
imò bini etiam cum tertio certant pon-
dere, nec tamen superant, nec superan-
tur. Ostendit hæc Virgo nobilius ali-
quid quàm aurum, quo mysterium hoc
claudamus, cor nostrum. Aut enim
hoc, aut nihil capit DEVM.

FESTVM SS. CORPORIS CHRISTI.

Iuvat pompæ, quam omnis hodie or-
bis Christianus ducit, exordia paucis
denarrare, Virgo fuit non procul Leo-
dio; nomen virgini Iuliana. Hæc dum
cælos, quos animo jam habitabat, ocu-
lis etiam obambulat, novam Lunam
aspicit, à quâ altera lubens lucē suam
mendicaret: pleno tamen incremento
aliquid restare videbatur. Subinde au-
dit Ecclesiam hanc esse Christi spon-
sam, cui porrò ad decoris supplemen-
tum nihil deesset, quàm ut sponsum
suum sub pane latitantem festo die, &
pompâ celebraret. Et verò ad hoc ope-
ram Iulianæ cælum expetere. Diu lin-
guam Virginis modestia ligatâ tenuit,
dum

dum amor denique solvit, & detegere visum, cum aliis, tum è Canonicorum collegio uni suavit. Is tunc Io. Lansenna post Pont. Urbanus IV. fuit. Et forte dum hic ad clavum Ecclesiæ sedet, Bolsenæ Sacerdotis sacrificantis mentem dubitatio subiit de Numinis in S. Eucharistiâ præsentia, Vulneravit hæc perfidia Christum. Nam præterquam quòd remoto panis velo, in conspectum se dedit, scaterere sanguine calix, & effundere se hic in aræ lintea visus est. Tum verò Urbano Pont. jubente miraculum hoc per urbem illam est circumlatum; jamque urbem unam omnis orbis amulatur. Rectè porro nos faciemus, si in ferculum DEO nostro non aurum, aut argentum modò, sed quod magis amat, oculos, linguam, pectus, cor adeò commodabimus. *Ex hist. revel. Inst. vener. Sacram.*

FESTVM S. ANGELI CVSTODIS.

DA mihi Arge, ô Angele mi, da penam vel unam è tuis, quâ laudes tuas scribam. Sed ô! unde incipiam? ubi desinam? Nondum natus eram, & tamen jam latus stipabas meum, ô Custos unice! Infanti sinum, puero manum dedisti, ô Pædagoge amantissime! Tu verba formare, & nunc Patrè in cælis IESVM, nunc Matrè MARIAM clamare, tu nunc artes humaniores,
nunc